

de patre et filio et spiritu sancto: aut aliter interpretati sunt: aut omnino tacuerunt: ut et regi satisfacerent: et archanum fidei non vulgarent. Et nescio quis primus auctor septuaginta cellulas alexandrie mendacio suo extruxerit: quibus diuisi eadem scripturarum: cum aristoteles eiusdem ptolomei hiperaspites et non multo post tempore iosephus nihil tale retulerit: sed in vna basilica congregatos protulisse scribant: non prophetasse. Aliud est. n. esse vatem: aliud est esse interpretem. Ibi spiritus ventura predicat: h. eruditio et verborum copia ea que intelligit transfert. Nisi forte putandus est tullius iconomicum xenophonem et platonis pythagoram et demosthenis petesifonte afflatus rhetorico spiritu transfuisse: aut aliter de eisdem libris per septuaginta interpretes: aliter per apostolos spiritus sanctus testimonia texuit: ut quod illi tacuerunt hi scriptum esse mentiti sint. Quid igitur? Damnamus veteres? Minime: sed post priorum studia in domo domini quod possum laboram? Illi interpretati sunt ante aduentum christi: et quod nesciebant: dubijs protulere sententijs: nos post passionem et resurrectionem eius non tam prophetiam quam historiã scribimus. Aliter. n. audita: aliter visa narrantur. Quod melius intelligimus melius et proferimus. Audi igitur emule: obtrectator auscultata. Non damno non reprehendo septuaginta: sed confidenter cunctis illis apostolos prefero. Per istorum os mihi christus sonat: quos ante prophetas inter spiritalia charismata positos lego: in quibus vltimum pene gradum interpretes tenent. Quid liuore torqueris? Quid imperitorum animos contra me concitas? Sicubi in translatione tibi videor errare: interroga hebreos: diuersarum urbium magistros consule. Quod illi habent de christo: tui codices non habent. Aliud est si contra se postea ab apostolis usurpata testimonia probauerunt: et emendatiores sunt exemplaria latina quam greca: greca quam hebraica. Verum hec contra inuidos. Nunc te deprecor desiderii carissime: ut quod me tantum opus subire fecisti: et a genesi exordium capere: orationibus iuues: quo possis eodem spiritu quo scripti sunt libri: in latinum eos transferre sermonem.

Explicit prefatio.

Incipit liber genesis qui dicitur hebraice bresith. Capitulum primum.

In principio creauit deus

celum et terram. Terra autem erat inanis et vacua et tenebre erant super faciem abyssi: et spiritus domini ferebatur super aquas. Dixitque deus. Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit deus lucem quod esset bona: et diuisit lucem a tenebris: appellauitque lucem diem: et tenebras noctem. Factumque est vespere et mane dies vnus. Dixitque deus. Fiat firmamentum in medio aquarum: et diuidat aquas ab aquis. Et fecit deus firmamentum: diuisitque aquas que erant sub firmamento ab his que erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocauitque deus firmamentum celum: et factum est vespere et mane dies secundus. Dixitque deus. Congregentur aquae que sub celo sunt in locum vnum: et appareat arida. Et factum est ita. Et vocauit deus aridam terram: congregationesque aquarum appellauit maria. Et vidit deus quod esset bonum: et ait. Germinet terra herbam viuentem et facientem seminem: et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum: cuius seminem in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam viuentem et facientem seminem iuxta genus suum: lignumque faciens fructum: et herbas vnum quodque seminem secundum speciem suam. Et vidit deus quod esset bonum: et factum est vespere et mane dies tertius. Dixit autem deus. Fiat luminaria in firmamento caeli et diuidant diem ac noctem: et sint in signa et tempora et dies et annos: ut luceant in firmamento caeli: et illucent terram. Et factum est ita. Fecitque deus duo luminaria magna: luminare maius ut preesset diei: et luminare minus